



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1658

VI. Quo sensu Spiritus Sanctus vocetur amor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38954

adiectiuus vsurpent ad hoc mysterium explicandum, nihilominus substantiua illa modo adiectiuo intelligi debent, vt de S. Hilario docet S. Thom. quaest. 36. a. 4. ad 7.

SECTIO VI.

Quo sensu Spiritus Sanctus vocetur amor.

AD vberiore cognitionem eorum, quae de Spiritus sancti processione dicta sunt, conferre potest explicatio huius nominis, quod passim in scripturis & apud SS. Patres reperitur, quo Spiritus sanctus amor vocatur. Quod, vt distinctius intelligatur, praenotandum est hoc nomen (Amor) in diuinis duplici modo sumi posse; 1. essentialiter, pro illo amore, quo tres personae diuinae diligunt; 2. notionaliter, idque vel actiue, scilicet pro amore notionali productiuo, quo Pater & Filius producunt Spiritum sanctum, vel passiuè pro amore notionali producto, & tunc est nomen personale solius Spiritus sancti proprium. Quoniam verò ea, quae ad voluntatem spectant in diuinis, magis adhuc nos latent, quam quae ad intellectum, ideo iuuabit ea, quae ad amorem illum diuinum productum pertinent, ex analogia productionis verbi diuini paucis hic explicare.

Sicut igitur, dum Pater seipsum in essentia sua contemplatur, verbum mentis exprimit; & sic Filium generat: ita Pater, & Filius dum se in vnitae essentiae diligunt; affectus voluntatis, qui est vtriusque amor, simul ab utroque exprimitur, sicque Spiritus sanctus producitur. Item sicut intelligere conuenit Filio non secus ac Patri; sed conceptum efformare, seu verbum dicere, soli Patri: ita amare Spiritui sancto conuenit non secus ac Patri & Filio: sed affectum exprimere, & amorem spirare, soli Patri & Filio. Item sicut verbum diuinum seu Filius ex cognitione essentiae diuinae eiusque perfectionum omnium, nec non trium personarum diuinarum, ac denique omnium creaturarum possibilium procedit: sic amor di-

winus seu Spiritus Sanctus ex eiusdem essentia diuina, perfectionum, personarum, creaturarumque omnium possibilium dilectione procedit; nec enim minus perfecta debet esse actio amandi, per quam producit Spiritus Sanctus, quam actio intelligendi, per quam gignitur Filius: quare sicut ista (vt superius dictum est) ad omnia intelligibilia, sic & illa ad omnia diligibilia extendi debet.

Ex his patet, quo sensu intelligi debeat id, quod docet S. Thomas quaest. 37. art. 2. cum dicit Patrem & Filium diligere se Spiritu Sancto: hoc enim verè & proprie dicitur, si verbum (diligere) sumatur notionaliter, prout significat spirare amorem; quia scilicet Pater & Filius relatione notionaliter diligunt se inuicem Spiritu sancto, tanquam dilectionis suae termino & amore producto; vnde sanct. Aug. lib. 6. de Trinit. c. 51. dicit, quod Spiritus sanctus est. *Quo genitus à generante diligitur, genitoremque suum diligit: & eodem sensu Synesius hymno 4. vocat spiritum sanctum. Centrum genitoris & geniti: & appositè sanct. Bernard. serm. 8. in Cant. super illa verba: Osculetur me osculo oris sui: Si, inquit, rectè Pater osculans, Filius osculatus accipitur; non erit abs re Spiritum Sanctum osculum intelligi, utpote qui Patris & Filij imperturbabilis pax sit, glutem firmissimum, indiuiduus amor, indiuisibile unitas.*

SECTIO VII.

Qua ratione persona vna in diuinis mitti dicatur ab alia.

Certum est ex scripturis secundam & tertiam sanctissimae Trinitatis personam mitti. Et quidem de Filio constat ex sanct. Mart. c. 15. *Non sum missus nisi ad oues, quae, &c.* & sanct. Ioan. 6. *Misite me veniens Pater, &c.* De Spiritu sancto etiam sanct. Ioan. 14. *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo: & cap. 15. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis.*

Cum